



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die octaua Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Martij 8.

N A T A L E S

tempora ad tumbam sancti viri multos vota persolvere, luminaria ponere, & alia sanctitatis officia frequentare. Cæterum locus iste *Martegaerdt* intra paucos annos derelictus est, quando Apostolicæ Sedi placuit plantationem Frederici ad novum episcopatum Leouardiensem transfere, & in cathedrales Canonicos, & Episcopi opitulationes transmutare.

### Die octaua Martij:

#### De sancto Hunfrido, episcopo Teruänensi.

*De eo Martij 8. Ex Iperio, chronographo Bertinensi, & rescripto Nicolai primi.*

*Ex Chronicis ad 5. Bertinum, capite 16.*

**I**N territorio Teruänensi, sancti HUNFRIDI, episcopi eiusdem ciuitatis, & abbatis Sithienfis. Primum hic fuit monachus, Prumiæ in Arduenna, deinde Morinensis siue Teruänensis ecclesiæ episcopus, successor sancti Folcuini, vir sanctus, & omni bonitate conspicuus. Qui etiam precibus obnixis monachorum sancti Bertini sollicitatus, anno nono sui episcopatus, eorum abbatiam regendam suscepit, solum pietate religionis motus. Sub quo nobilis puer Megenfridus à patre Ruodwaldo monasterio est oblatus, cum parte hæreditatis suæ, in pago Boloniësi & mancipijs quatuor. Cui donationi postea adiecit anno octingentesimo sexagesimo septimo mansum vnum cum seruo, vxore & liberis. Eique donationi Grimboldus diaconus & monachus subscripsit. Cæterum abbatiam duobus tantum annis rexit: post bellum enim Nordmannicum, Carolus Caluus, eo cum dedecore deposito, intrusit decimum-septimum abbatem Hilduinum Canonicum sæcularem de senioratu Lotharij, suum consiliarium. Superuixit autem triennio in episcopatu,

copatu, & migrans ad Dominum, successorem  
habuit Acardum.

A Nordmannis de episcopio pulsus, Nico-  
laum primum consuluit, an deberet de cætero  
in monasterio conuersari. Cui Pontifex rescripsit:  
*Si perniciosum est proceram in tranquillitate nauim de-  
serere, quanto magis in fluctibus? Vbi non dicimus quod* *Causa 7. f.*  
*persecutorum non fugiamus insidias, cum ad tempus sa-* *1. Capite,*  
*uiunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocen-* *Sciscitaris.*  
*di facultatem diuinitus assequuntur: sed quod præcipue*  
*nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus,*  
*immo qui & horum auctores sumus, Deo auctore cum eis*  
*in periculis pro viribus persistere pro certo conueniat, &*  
*cum tranquillitas reddita diuina fuerit pietate, mox gre-*  
*gem perquirere, & in unū colligere debemus: & cætera.*

Festum ostensionis notatur in Breuiario Mo-  
rinensi decimo septimo calendas Septembris Sed  
Carolus quintus, Teruana capta, direpta, extir-  
pata, corpus sanctum cum portione sedis episco-  
palis, Ipras transtulit.

## Die decima Martij.

### De sancto Himelino.

*Ex relato incolarum, & consensu scriptorum in Ru-  
bea-valle, & Throno.*

**F**Enaci, obitus beati Himelini Scoti, presby-  
teri. Qui beato Rumoldo carne propinquus: aut,  
vt alij dicunt, eius affinis, febre pestilentiali tactus, obiit,  
mirificante Domino obitum eius multis signis. Non est  
per episcopum eleuatus, aut Apostolica auctoritate sanctis  
asciplus; locus tamen dicitur vulgo, *Sinte Himelÿns Visse-  
naken*. vbi in crypta sub campanili quiescit, & in altari  
imaginem habet, ac frequenti ad eius memoriam cōcurso,  
multum